



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput II. Orationis notio necessitas, ac conditiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Jesus Christus christianæ adorationis ob-
jectum est, non modo verum & naturale, sed
si dicere fas est, pium & sensibile, in tribus
præcipue mysteriis, in ejus *Infantia*, in ejus
Passione, & in sanctissima *Eucharistia*, in quibus
præsertim suum erga nos amorem & pietatem
declarat. Usque ad sæculi consummationem
in *Eucharistia* ille moratur, ut in ea ju-
ter Deum adoret, & ut ibi a fidelibus ipse ad-
oretur, tamquam eorum Deus atque Redemptor.

Christianorum cultus non ita spiritualis esse
debet, ut non sit etiam exterior; videlicet præ-
ter spiritus adorationem, quæ fide & amore
perficitur, externi aliqui actus sunt exercendi,
veluti templorum veneratio, genuflexiones, alii-
que similes. Veteres Anachoretæ se prosterna-
bant, & prona in terram facie orabant. Innu-
meras pene in dies singulos genuflexiones Simeon
Stylita exercebat.

CAPUT II.

Orationis notio necessitas, ac conditiones.

Oratio, prout eam post sanctum Damascenum
(lib. 3. cap. 24.) Theologi definiunt,
est decentium a Deo petitio. A Deo omniscio,
summe provido ac liberali nihil perendum esse
nonnulli hæretici existimarunt. Ast vana hæc
est objectio: Non enim (inquit sanctus Tho-
mas 2. 2. *Quæst.* 83. art. 2. in corp.) propter
hoc oramus, ut divinam dispositionem immute-
mus,

mus, sed ut id impetremus, quod Deus disposuit, per orationes esse implendum, ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare, ut Gregor. dicit lib. 1. *Dialogorum cap. 8.* Non igitur injuriam sed debitam reverentiam homo, cum orat, Deo exhibet, ac præcipuum Religionis actum exercet, in quantum ei se subijcit, ac proficitur, Dei gratia se indigere, ut bonum exequatur, vel malum vitet (a).

Sicut Fidei, Spei, Caritatis, ita & orationis nullum directum exstare præceptum nonnulli Casuistæ docuere. Juxta absurdam hanc doctrinam harum virtutum exercitium non propter se ipsas, sed indirecte propter tentationes superandans, aut virtutes obtinendas Deus præcipit, quemadmodum sapiens Medicus medicinam, aut phlebotomiam non propter se sed propter morbi propulsationem ægroto injungit. Ex quo adhuc alia detestanda satis illatio sequitur, quod sicuti aliquis valetudine tam firma frui potest, ut

(a) Nota censoria Innocentius XI. istam Michaelis Molinos propositionem stigmatizavit: *Qui divine voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio.* Quod vero hæc dum justis, sed etiam peccatoris oratio (dummodo hic non qua peccator quidquam Dei voluntati adversum petat) conveniens ac utilis sit, ex hac damnata Quesnelli propositione patet: *Oratio impiorum novum est peccatum, & quod Deus illis concedit, novum est judicium.* Est num. 59.

ut ægritudinem nullam patiat, nec purgationem aut phlebotomia umquam egeat, sic aliquis nec vehementibus jactatus affectibus, nec blandis illectus cupiditatibus vitam suam omnem transigere possit, quin umquam deberet Deum orare, aut Fidei, Spei, & Caritatis actus exercere. Quæ tandem erit blasphemia, si hoc nomine doctrina ista non est vocanda? Aut quomodo christiana omnis Religio labefactari poterit, si non hoc pacto tota funditus evertitur? Nam qualis demum erit Christianus sine fide, spe, & caritate, & absque harum actibus? Tota vita christiana (inquit Augustinus) oratio est continua, quia perpetua illa est spes, & desiderium.

Directum itaque, ac speciale orationis preceptum Christianos obligat, cui in diebus festis saltem majoribus, est obtemperandum. Oratio (inquit Christus *Matth. 26.*) *ut non intreat in tentationem.* Et: *Petite, & accipietis* (*Matth. 7.*) *Oportet semper orare* (*Luc. 18.*). Unde & sanctus Augustinus ait: *Constat Deum dare non orantibus, sicuti initium fidei, alia nisi orantibus præparasse, sicuti usque in finem perseverantiam* (*de dono persever.*). Peccant proin, qui orationem perpetuo negligunt; quæ in tentationis tempore gratiam, superandæ tentationis necessariam, a Deo efflagitare omittunt.

Bona, quæ a Deo sunt petenda, Oratione Dominica comprehenduntur. Sicut lex æternæ aliarum legum, ita oratio dominica cæterarum precepcionum norma est, omnesque divina lumen origine, singulari brevitate, ac utilitate præ-

dit. Si recte, & congruenter oramus (inquit sanctus Augustinus ad Probam cap. 12.), nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione dominica positum est. Doctor quoque Angelicus orationem istam tamquam omnium perfectissimam commendat; quia in hac Non solum petuntur omnia, quæ recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt, ut sic hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus (2. 2. quæst. 83. art. 9.). Aberrant proinde, atque a Confessariis, aut Parochis instruendi sunt, qui posthabita dominica oratione ad alias, sæpe exfuccas, aut omnino superstitiosas oratiunculas confugiunt, gentiliumque more in multiloquio exaudiri a Deo cupiunt; non enim quantum, sed quomodo oretur, Deus attendit (a).

Ut oratio nostra cælos penetret, atque postulata impetret, iis, quæ sequuntur, conditionibus

(a) Orationis hujus initium ad fiduciam & reverentiam orantes excitat. Prima & secunda petitione Nomen, Deique gloriam ubique notam, nosque illius gloriæ aliquando participes fieri rogamus. Tertia & quarta divinæ voluntatis ac legis adimpletionem, ac panem tam corporalem, quam spiritualem ceu apta ad gloriam perveniendi media petimus. In tribus ultimis peccati commissi reatum, comittendi periculum, & quævis mala ceu beatæ gloriæ impedimenta auferri a nobis efflagitamus. En quomodo omnia, quæ rationabiliter a Deo petere homo potest, dominica in oratione veluti in compendio sint contenta.

nibus prædita sit oportet. 1. Interior esse debet, attente nimirum, & reverenter facta: corde potius, quam ore eructata; quoniam Deus spiritus est, & cor nostrum postulat. *Oratio spiritu* (ait sanctus Paulus *I. Cor. 14.*) *oratio & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* 2. A peccati affectu cor purum esse debet. *Nam peccatores Deus non audit* (*Joan. 9.*) 3. Spe obtinendi, quod petit, abundare oratio debet. *Omnia* (ait Dei Filius *Marc. 11.*) *quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis.* 4. In Jesu Christi nomine est orandum, sicut ipse monet: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan. 16.*). Illi vero in Jesu Christi nomine petit (inquit sanctus Augustinus) qui ea solum petit, quæ æternæ salutis, quam nobis Christus meruit, sunt convenientia (a). 5. Fraternali caritatem comitem habeat, necessum est; Dominus enim jubet, ut ante altare munus relinquatur, prius fratri reconciliemur, quam illud offeramus.

(a) Sunt bona, quibus abuti nemo potest, uti gratia veræ poenitentiae finalis perseverantiae, caritas, beatitudo &c. & hæc absolute a Deo peti Christum sunt petenda. Sunt etiam bona quibus sæpe homo abutitur, uti bona temporalia, & gratia gratis datae &c. Et hæc non nisi conditionate, si nempe Dei gloriæ, ac nostræ salutis congruant, postulari a Deo debent. Regula hæc illis præprimis est suggerenda, qui omnes suas orationes a Deo non exauditas esse, in confessionali &c. conqueruntur. Non enim sicut oportet hucusque petierunt juxta illud: *Petitis, & non accipitis; eo quod male petatis* (*Jacobi 4.*).

Horæ canonicæ a quibus, & quomodo. &c. 455

mus. Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem (Marc. II.).
6. Humilitas & submissio vultu & gestu sunt quam maxime exhibendæ. Christiano denique more, non alio superstitioso, orare Christianus debet.

Nædum pro amicis; sed & pro inimicis orare christiani hominis officium est. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos (Matth. 5.)*. Ita Christus suos hortabatur; hancque suam doctrinam glorioso exemplo munivit, cum in cruce positus Patrem pro crucifixoribus rogavit. Pro Regibus præprimis, & Ecclesiæ Rectoribus ut fideles orent, sanctus Paulus præcepit (1. Tim. 2.). Pro hæreticorum, ac infidelium conversione, animarum purgantium a penis liberatione preces, & sacrificia offerre communis in Ecclesia mos est, cujus pietatem, pariter & utilitatem Theologi dogmatici probant, ac fidelibus commendant.

C A P U T III.

Horæ canonicæ a quibus, & quomodo sint dicendæ.

Apostoli, hisque coævi Christiani statis diei horis communes ad orationes convenerunt. Temporis lapsu sicut caritas, ita & iste orandi fervor refriguit. Laicis ad alia distractis solummodo apud viros ecclesiasticos, ac Ægypti præprimis monachos antiqua sæpius per diem Deo pfallendi consuetudo perstitit. Pii Principes,